

in Ecclesia Christi. Laudari satis non potest bellica fortitudo Godefredi Bulionæi, qui sub Henrico I V. Imperatore, vendito Ducatu Bulionæo, cum fratribus suis Balduino & Eustathio victricia arma per Asiam & Syriam intulit in Hierosolymam, Turcis & Saracenis depulsis, atq; ita doctrinam de filio Dei restituit: Vide Peucerum in Chronicis lib. 4. Multum autem magnanimitatem juvare solet bonitas causæ, ad quam si legitima actio accedit, de felici exitu non est dubitandum, ut rectè Poëta:

Non vis aut numerus, tandem bona causa triumphat.
& Propertius: Frangit èq; attollit vires in milite causa,
Qua nisi justa subest, excutit arma pudor.

Davidem adversus Goliathum animabat bona causa; Saulis verò animum mala causa frangebat. Theodosium Imperatorem piæ persequebantur Eugenius & Arbogastus, eumq; ad summas angustias redigebant. Imperatoris causa erat bona, defendebat enim Christianos. Sed nimia hostium copia ipsum quodammodo ad metum adegisset, nisi noctu in somnio divinitus ipsi quasi inspirata fuisset magnanimitas, & ad præliandum alacritas. Pugnatum fuit strenuè, & in auxilium asciti venti, qui summâ vehementiâ contrarii erant hostibus; unde Claudianus poëta de Theodosio, quamvis Ethnicus:

O nimum dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Nec existimandum est, in solis armis esse magnanimitatem, quum in aliis quoq; rebus, quæ arduæ sunt, conspicitur, puta in gravibus consultationibus, & dicendis sive tractandis iis, ex quibus pericula existere possunt, ut quum Christus in faciè objurgat Phariseos; quum Paulus Apostolus Ananiam summum Pontificem vocat parietem dealbatū, i. e. hypocritā, Act. 23. v. 3. Magnanimus erat Cicero, quū adversus Catilinā ejusq; socios diceret, nec non contra Antonium. Magnanimus erat S. Laurentius Martyr, quum in craticula altero latere tostus ad Decium Imperatorem diceret: Si placet, tostæ meæ carnis partem tibi comedendam sume; nimirum singulari fortitudine quanti Imperatoris sævitiam faceret, significavit.